

mo Infantium, nullo verbo penitus immutato: atque ideo videnda sunt quae diximus in explicatione illius, tam de saliva, quam de voce *Ephpheta*, quae ut diximus, diversimode scribitur apud diversos Authores.

§. XXVII. Deinde interroget Electum: Quis vocaris?

63 64 Haec nova interrogatio in hoc loco satis animadvertenda est: Si enim tunc, quando Sacerdos dixit electo in principio Catechesis: *Quo nomine vocaris?* quia abfuit a Catechismo. Catechumenus responsum fecit de veritate nominis sui cur modo noviter eum interrogat: *Quid vocaris?* An tam cito oblitus est hujus nominis? Dubio huic, meo videri respondendi potest dupliciter. Potest esse: quod ista repetita interrogatio praescripta sit a Rubrica, ut hoc pacto minister requirat, et iterum poscat, an Catechumenus persistat in electione nominis, in se primo praesentando ad Catechesim, assumpto, vel poeniteat, et reassumere optet vetus nomen Infidelitatis, vel aliud magis sibi visum. Secundo dico: In prima Interrogatione fortasse debere Catechumenum dare nomen suae Infidelitatis, et postea hoc loco assumere illud, quod sibi elegit adhibendum in gremio Ecclesiae.

Ex istis duabus opinionibus prior mihi lubet: haec enim frequens repetitio, tunc cum magis tempus urget, est utilis ad confirmandum electum in suo proposito. De facto videretur vana interrogatio, cum jam paulo ante in mox pronuntiato et fulminato Exorcismo dixerat Sacerdos: *Recedas ab hoc famulo Dei N.*

Ultimo ego credo hanc Rubricam melius inservire Episcopo baptizanti tantum, non autem Catechizanti, ut notatur in fine Tituli, *de Ritu servandu dum episcopus baptizat*: Tunc enim de facto Episcopus ignorat nomen Baptizandi, et dicit cum veritate: *Quo nomine vocaris?*

Abrenuntiationes istae similes omnino sunt iis, quae fiunt in Baptismo Infantium, ideoque hic nihil de istis.

§. XXVIII. Tunc Sacerdos intingit pollicem dexteræ manus, etc.

Tota haec Rubrica similis est jam explicatae in Baptismo Parvulorum, quare nihil amplius superaddam.

§. XXIX. Et ducitur Electus ad Baptisterium, ubi si ob aliquam causam non habeatur, sive praeparata non fuerit Aqua baptismalis, fiat benedictio Fontis, ut infra ponitur, et cum fuerit prope Fontem, Sacerdos interrogat: Quis vocaris?

Infans portatur, Adultus ducitur ad Baptisterium non longe paratum, in quo si deficiat Aqua Baptismalis, de novo conseranda est modo praescripto a Rubrica in Baptismo Parvulorum. Verum in hoc casu deficientiae magna incuria notandum est minister Baptismi, sive Parochus, sive demum Caeremoniarum Magister, non praeviendo hanc deficientiam. Attamen ego credo quod Rubrica assignet benedictionem hujus Aquae hoc loco, ut electus sit praesens, et spectator rerum, et mysteriorum, necnon caeremoniarum, quae Aquam hoc pacto, et ritu benedictam reddunt venerabilem.

Nota hic quod denuo Minister interrogat Electum de nomine, dicendo *Quis vocaris!* Ex quo confirmatur opinio mea, nempe hanc interrogationem per multas vices fieri debere, ut constantia Electi quodammodo tentetur, an persistat in vocatione.

§. XXX. Iterum interrogat dicens: Quid petis? Resp. Baptismum.

Et haec quoque interrogatio ex industria facta est. Certe Ministro constat petitio Electi, quae est, ut baptizetur. Dixit enim in principio Catechismi: *Quid petis ab Ecclesia Dei?* Et Electus respond. *Fidem.* Cur ergo hic eum noviter interrogat, dicens: *Quid petis?* Si cuncta jam huc usque facta ad Baptismum perducunt? Non alia de causa hoc fit, nisi, ut vere per reiteratos actus constet libera voluntas baptizandi: Ideo ad sequentem interrogationem, Respond. *Volo.*

Posset etiam adduci alia ratio ex Evangelio desumpta, nempe, ordinari has repetitas interrogationes ab Ecclesia, ut Catechumenus, per repetitionem sui consensus meritum, et gratiam majorem adipiscatur ex ingeminatis actibus desiderii sui. Ita Christus ter interrogavit Petrum: *Petre, amas me?* Joann. 21. hoc est, inquit Div. Bernardus 1. *Timoth.* 1. 5. *habes Charitatem de corde puro, et de conscientia bona, et fide non ficta?* Quod ad voluntatem, et desiderium Catechumeni in re tanti momenti applicari potest. Quare Teophilact. ut ex *catena au-*

rea S. Thomae in Joann. 21. ait: *Ex tunc etiam inolevit consuetudo, ut ter confiteantur qui veniunt ad Baptismum.*

§. XXXI. Tunc Patrino, vel Matrino, vel utroque (si ambo admittantur) admota manu, tenente, seu tangente Electum, vel Electam aperto capite; et laxatis a collo vestibus, inclinatum, Sacerdos vasculo, vel urceolo haurit Aquam baptismalem de Fonte, et cum ea, sub trina supra caput, in modum Crucis infusione, baptizet Electum, seu Electam in nomine Sanctae Trinitatis, sic dicens: *Ego te baptizo, etc.*

65 66 67 Notabilia in hoc textu, et non explicata in Baptismo puerorum sunt, quod electus debeat stare detecto capite, scilicet absque pileo, seu aliquo quocumque tegumento, inter quae tegumenta haberi debet etiam caesaries ficta, vulgo *Perruca*, seu *Cerchieti*, quae cum vana ornamenta sint, deponi debent in hoc casu, ne impediatur aquae infusio supra caput: Idem quoque dicatur de mulieribus.

68 69 70 Insuper vestes esse debent laxatae a collo, ut Aqua effusa supra vestes non cadat, sed liberum habeat cursum ad Baptisterii Sacrarium, seu ad pelvim suppositam. Quod ut facilius eveniat, debet Electus stare facie prona supra Fontem.

§. XXXII. Si Aqua, quae ex capite baptizati defluit, non dilabitur in Sacrarium Baptisterii, recipiatur in subiecta aliqua pelvi, et in illud postmodum projiciatur.

Concordat haec Rubrica cum alia generali *de Sacris Oleis et aliis requisitis*, a me explicata in Tit. *de Sacramento Baptismi recte administrando*, §. *Pelvis, seu Bacile*.

§. XXXIII. Cum plures sunt Electi, singillatim singuli interrogantur, et baptizantur, ut supra. Si sunt mares, et foeminae; primum mares, deinde foeminae.

Pariter hanc Rubricam explicavimus in Baptismo Parvulorum, et loquuti fuimus de praesentia masculorum super foeminas.

§. XXXIV. et §. XXXV. *Duae Rubricae eadem sunt ac in Baptismo Infantium quare nihil supperaddendum duco.*

§. XXXVI. Tunc Bombacio, vel re simili pollicem tergit, et imponit capiti Electi chrimale, seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens, etc.

71 72 Linteolum est quo frons chrimate liniti cingitur, et etiam in Sacramento Confirmationis adhibetur. Licet induendus sit Electus veste candida, attamen non praetermittendum est hoc chrimale, seu linteolum, quod imponitur super partes inunctas sacro Chrimate, ob venerationem.

73 74 75 Datur insuper illi vestis candida, ex quo innuitur non esse Catechumenos induendos simili veste (ut nonnulli perperam faciunt) ante Baptismum, sed post, hanc esse suscipiendam de manu Sacerdotis: cui praevaricationi occurrere volens Summus Pontifex Benedictus XIII. In Concilio nuper Romae habito, hanc constitutionem promulgavit, quae est secunda, Tit. 26. *Non est in solemnibus Adultorum Baptismate sine redargutione praeterenda illa sacri Ritus inversio, dum Catechumeni ad divinum permittuntur adire lavacrum candida induti Neophytorum veste, quam tantummodo post Baptismum tradimus baptizatis (Can. post Bapt. et can. Accepti, cit. dist. 4. de cons.) in gloriosae signum resurrectionis, ad quam homines e sacro Fonte regenerantur, novaeque vitae innocentiam significandam, quam post veteres ablutas maculas servare debent immaculatam, ante Christi Tribunal perferendam. Haec itaque, et similia a Sacrarum Caeremoniarum Magistris advertantur, etc.* Igitur Sacerdos est, qui praebet Neophyto vestem candidam propriis manibus, quae ideo debet esse parata, ut facile ad manus habeatur.

§. XXXVII. Et Electus deponit priores vestes, et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam a Sacerdote accipit.

76 Munus est Patrinatorum, vel assistentium exuere Neophytum vestibus antiquis usque ad illud praefixum tempus indutis. Foeminae exuere, et vestire debent foeminas, masculi masculos.

77 Ista limitatio: *vel saltem exteriore*: videtur quod permittat Catechumenos posse externe saltem apparere indutos
COM.—P. 21.

vestibus albis ante Baptismum. Qua de causa, ut saepius vidi, masculis permissum est pallium nigrum, seu coloratum externe gerere, quod statim ac deventum est ad hunc locum, deponunt, et induti apparent veste alba. Haec mihi semper visa est quaedam metamorphosis sacra, oculorum illusoria, quae alioquin facile vitari potest, si Neophytus vestibus suis antiquis indutus accedat ad Baptismum; ad quem cum pervenerit, de praecepto Rubricae, indui debet novis, candidisque indumentis; Pallium enim proprie non est vestis, sed superindumentum ad tegendas, et defendendas vestes a pluvia, seu a rigore frigoris. Clare utique loquitur noster textus dicendo: *Electus deponit priores vestes.* Cum ergo pallium, ut diximus, non sit vestis, non adimpletur praeceptum Rubricae, illud tantummodo deponendo. Sic et foeminae per inversionem Ritus, solent duci ad Baptismum cum velo nigro supra caput, quo deposito, et super inducto novo velo albo, creditur adimpletum praeceptum nostri Ritualis: sed falluntur quicumque hoc faciunt, et tolerant: Vestis antiqua ab utrisque est deponenda, non pallium, seu velum; eo enim modo, quo in domo Catechumenorum alba veste induuntur, indui possunt in Ecclesia, cum hoc a Rituali praecipitur, et cuicumque consuetudini in contrarium deroget recens Constitutio Concilii Romani super allata.

78 79 Foeminis tantummodo aliquantulum indulgendum, scilicet, ut non denudentur usque ad subuculam inclusive: sed cum muliebris supellex varia, et multiplex sit, potest illi remanere induenda superior vestis tantum. Pro qua advertendum est, ne sit ornamenti, et vanitatibus implicata, sed tantum modestia, et honestas appareat, qualis decet in suscipiendo Sacramento: Si enim in Parvulis praecipit Rubrica, ut qua decet christiana modestia, sine pompae vanitate deferantur ad Ecclesiam: multo magis in Adultis hoc observandum esse videtur, et praecipue in foeminis, non calamistratis, non minio linitis, non pulvere ciprio, non cincinnis, non deinde instrumento diaboli munitis. Male etenim abrenuntiarent pompis satanae, quae pompis diabolicis indutae, ad Sacramentum accederent.

§. XXXVIII. Postea dat ei Sacerdos cereum, seu candela accensam in manu dextera, dicens, Accipe, etc.

80 In Baptismo infantium Candela traditur Patrino, quia Infantes supponuntur fasciis ligati, et circumvoluti. Adultis vero danda est Candela in manu, quia liberi, et apti sunt ad eam portandam. Significatio hujus luminis habetur in explanatione *Bapt. Infans.*

§. XXXIX. Ipse vero Neophytus eundem cereum accensum manibus teneat usque in finem, praeterquam dum confirmatur.

81 82 Nunc pro prima vice in hoc Rituali, noviter baptizatus vocatur *Neophytus*, quando huc usque vel Catechumeni, vel electi nomine appellatus est. *Neophytus* vox Graeca est, quae significat, *Novus in fide*, et dicitur de eo, qui a reprobata Religione conversus, de recenti Christianae militiae nomen dedit, *cap. Sicut* 48. *Turrecrem.* 48. *dist. in summ. num.* 2. dicitur *de resenti*, nam qui a multo tempore ab Infidelitate ad Christianismum sunt conversi, Neophyti nuncupandi non sunt, quamvis injuriose ita appellentur ab aliquibus, quos gravibus verbis arguunt *Turrecremat. loc. cit. sub. n. 2. vers. ex qua*, *Navar. in Manual. cap. 27. sub num.* 205. *vers. dixi*, apud *Recciull. de Neoph. c. 1. n. 1. et 2.* Ideoque hic nominatur Neophytus, quia est immediate post susceptum Baptismum.

83 Cereum itaque accensum ipse Neophytus, manibus suis, si valet, habere debet, et tenere, donec peracta sit totaliter functio: imo laudandus erit si illum gestet in Oratione habenda pro gratiarum actione, et tempore, quo Missam audit. Ipse enim Neophytus est novum lumen Ecclesiae additum; atque ideo Symbolum suae fidei portare non erubescat. Deponenda tantum est Candela si post baptismum, Confirmationis quoque Sacramentum, ab Episcopo accipit, ut saepe accidit.

§. XL. In Ecclesiis autem, ubi Baptismus fit per immersionem sive totius corporis, sive capitis tantum, Sacerdos accipiat Electum per brachia prope humeros, et superiore parte corporis nudatum, reliqua honeste contectum, ter illum, vel caput ejus mergendo, et toties elevando, baptizet sub trina mersione, Sanctam Trinitatem semel tantum sic invocando: Ego te Baptizo in nomine Patris †, mergat semel; et Filii †, mergat iterum; et Spiritus Sancti †, mergat tertio; Patrino vel Matrino, vel utroque eum tenente, vel tangente.

84 85 De Baptismo Infantium per immersionem jam diximus suo loco: *In ordine baptizandi Parvulos.* Modo de baptizandis Adultis eodem ritu, nempe per immersionem aliqua

dicenda essent, sed cum pene nulla differentia intersit ab uno ad alium statum Baptizandorum, superfluum censeo hic jam dicta repetere, cum commode possit Lector ad superius enarrata se reportare. Id quod mihi videtur notandum in hoc casu immersionis Adulorum, est incommoditas, et difficultas bene, et rite execuendi hunc ritum cum Adultis jam ad perfectam staturam perventis: magnae enim difficultatis est illos per brachia elevare, et mergere. Pariter in Foeminis Adultis non ita facile evenire potest, ut se sinant denudari in aliqua corporis parte, et pertractari a Sacerdote. Mihi videtur, quod S. Carolus innuere voluerit hanc difficultatem tunc, quando in *Act. p. 4.* Sacramentale Ambrosianum exponens, in quo viget usus baptizandi per immersionem, de Baptismo Adulorum pertractans, et docens quae in eo servanda sunt, dispensat Ministrum, et baptizandum ab hoc ritu immersionis, asserens quod possit esse magni incommodi. Verba sunt: *Baptizetur (Adultus) per immersionem, ut ritus Ambrosianae Ecclesiae postulat, si quidem commode fieri possit: alioqui per infusionem:* Ecce quomodo sanctus Antistes incommo- dum praevidens, benigne annuit, et a praescripto Ambrosiano ritu recedere permittit.

§. XLI. Et cum Electus surrexerit de Fonte, Patrinus, vel Matrina cum linteo in manibus suscipit eum de manu Sacerdotis.

86 Magis magisque crescit difficultas ritus immersionis in Adultis. Hic tergi debet totus a Patrino, vel Matrino, qui eum suscipiunt de manu Sacerdotis, in qua tersione (praecipue totius corporis) multa incommoda patti possunt.

§. XLII. Et Sacerdos, intincto pollice dextro in sacro Chrismate, illum in vertice in modum Crucis perungit dicens, etc. Deinde Sacerdos imponit capiti ejus linteolum, seu Chrimale, et dat ei vestem candidam, dicens, etc.

Quaecumque in hic §. a Rubrica enunciantur, jam a novis exposita, et adnotata fuerunt superius in Baptismo Adulorum per infusionem; atque ideo non reiteranda esse censeo.

§. XLIII. Et statim praedicto linteo abstergitur, et in loco semoto vestitur novis, et albis vestibus, et exteriore candida, quam accepit.

87 Ex hoc textu magis explicatur intentio Ecclesiae, circa vestem candidam deferendam a Neophytis: alibi non pauca diximus §. 27. modo nonnulla superaddenda sunt. Quando Rubrica haec dicit: *In loco semoto*, jubet, ut hoc fiat ob decentiam: si enim Neophytus totus expoliari debet, decet, ut remote ab oculis adstantium hoc fiat. Ubi vero addit: *Et exteriore candida, quam accepit, etc.* demonstrat, quascumque vestes tum exteriores, tum interiores, debere ibi esse paratas, ut Neophytus possit illis indui: ergo supponit, quod illis nondum indutus fuerit: ergo male se gerunt qui ducunt Catechumenum interioribus vestibus albis indutum, et solo pallio, aut velo (si Foemina fuerit) nigro, vel colorato superextenso: nam exterior vestis, quam Neophytus accipit a Sacerdote, non est tota vestis, sed tantum exterior pars. Rubrica in hoc loco satis clare loquitur, et ideo intelligere eam facile deberent qui negotiis Catechumenorum praesunt, et praesertim Sacrum Caeremoniarum Magistri.

§. XLIV. Postea dat ei Sacerdos candelam accensam in dextera manu, dicens ut supra, etc.

88 89 Vide quae diximus tan in ordine baptizandi Parvulos, quam in ordine baptizandi adultos, quibus addo, Cereum, seu Candelam, una cum sudariolo, seu linteolo, de quo supra praestanda esse expensis Adultis, seu illorum, qui Catechumenorum curam habent, non vero expensis Ecclesiae. Si vero in tanta paupertate constitutus esset Catechumenus, ut nec haberet quo indueretur, praestandum esset illi a pia Matre Ecclesia quidquid in hoc casu opus esset.

§. XLV. Postea dicat. N. Vade in pace, et Dominus sit tecum. Respond. Amen.

90 Haec est ultima salutatio Ecclesiae in conferendo Baptismo. In primitiva Ecclesia Catechumeni post Evangelium, a Missae Sacro licentiabantur, Diacono dicente; *Ite Catechu-*

meni in pace, Casal. *d. c. 5.* §. *Catechum.* Dionys. Reop. *de Eccle. Hierar. c. 5.*

§. XLVI. Si adsit Episcopus, qui id legitime praestare possit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur.

91 92 Episcopus loci potest legitime ministrare Sacramentum Confirmationis, et in hoc omnes Doctores concordant. Antiquitus post susceptum Baptismum immediate confirmabatur Neophytus, imo et infans baptizatus, Clem. I. *epist. 4.* et alii multi SS. PP. et DD. per allegat. a Casal. *dict. c. 5. Baptizati.* Cessavit deinde tractu temporis mos iste, et ritus, ob auctum numerum fidelium, et ob non ita frequentem administrationem Baptismi ab Episcopis solemniter factam, Casal. *d. l.* Verum cum hujus Sacramenti ritus a Rituali non praescribatur, sed tantum *in Pontificali Romano* insertus sit, meum non est hic de illo disserere.

§. XLVII. Deinde si hora congrua fuerit, celebratur Missa, cui Neophyti intersunt, et Sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt.

93 94 Ex hac Rubrica magis infertur necessitas administrandi Baptismum in mane, et jejunii servandi a Catechumenis, cum debeant suscipere Sanctissimam Eucharistiam: quare confirmanda sunt quaecumque diximus §. 8. et 9. Tituli *de Baptismo Adultorum.* Caeterum antiquissimus mos est celebrandi Missam post Baptismum, Ord. Rom. et Albim. *de Div. Offic. cap. 19.* Post Baptismum, peracto Missae Sacrificio, dabatur statim Eucharistia. Casal. *d. l.* cum pluribus.

95 Remanet aliquid dicendum de nomine Neophyti scribendo in libro Baptizatorum, quod diligenter fieri debet a Parocho, adnotando omnes circumstantias, nempe antiqui nominis Baptizati, Sectae, seu Religionis falsae, in qua degebat, Aetatis, Patrinorum, Ministri Baptismi, temporis, horae, et alia necessaria pro testanda illius conversione: de quibus nonnulla dicemus in fine hujus operis: modo sufficit dicere, optimum esse consilium illorum Parochorum, qui pro Neophytis, et expositis Infantibus libros habent diversos, et a communi separatos. Vide quae dicenda sunt in fine ad Tit. *de forma describendi Baptizatos in primo libro*, §. 7.

§. XLVIII. Si vero ob Baptizandorum multitudinem (ut in India, et novo Orbe quandoque contingit) in singulorum Baptismo praescripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel, si urget necessitas, omittantur.

96 97 98 99 100 Haec Rubrica pro Missionariis Apostolicis facit, qui ad Indos. sive ad novum Orbem mittuntur, et a S. C. Propagandae Fidei Romae instruuntur de omnibus iis, quae in tali distantia permitti, et tolerari possunt. Nihilominus cum etiam possit dari casus, ut in gremio fidelium detur aliqua necessitas baptizandi multitudinem infidelium in aliquo urgenti periculo, v. gr. Incendii, Terraemotus, Pestilentiae, vel fluviorum inundationis, et similium, praecipue cum in Terris Christianorum Hebraei permittantur habitare palam, et absque restrictione, sciendum est, in istis necessitatibus si urgeat periculum, vel multitudo sit innumerabilis, posse omitti caeremonias Sacramentales, Exorcismos, et Catechizationes, vel cum pluribus adhiberi, et servari unicam, et solam essentialiam Baptismi, in baptizando per Aquam, adhibita forma consueta: *Ego vos Baptizo, etc.*